

non viventium, intellectu nullo præditarum. Hinc liquet, Personam & Suppositum differre ut latius & angustius; omnis quidem Persona est Suppositum, sed non omne suppositum est Persona.

§. XIIX. Quæstio insuper agitur de Subsistentia, an realiter differat ab Essentia; nec ne? Ubi sciendum, Essentiam esse id, quod primò in re concipitur. Dupliciter autem intelligi potest, aliquid in aliqua re primò concipi, (1.) ut ab illo inchoemus nostram cognitionem, & sic concipiuntur plerumque in aliquâ re Accidentia. Quod igitur hõc modò concipitur in re aliqua, id non est Essentia ejus. (2.) Ratione causalitatis, & sic illud in aliquâ re dicitur primò concipi, quod ita concipitur, ut non possit dari ratio à priori, cur ipsi competat. Et hoc demum est Essentia vel de essentia alicujus rei, quod ita in re concipitur. Jam quæritur, an ab hac Essentiâ realiter differat Subsistentia; an verò tantum ratione ratiocinata? Non differre realiter suadent subsequencia: (1.) si singulare ab universali non differt realiter, neque Subsistentia & Essentia differt realiter. At verum est Ant. E. & cons. Consequencia probatur, quia subsistentia est singularis; Essentia autem est aliquid universale. (2.) Si Subsistentia ab essentia differret realiter, in Deo esset realis distinctio, & consequenter etiam realis compositio, ex essentia scilicet & subsistentia. Consequens est falsum. E. & antecedens.

§. XIX. Ut pateat, quid hinc sit statuendum, probè subsistentia divina fecernenda est ab humana. Illa ab Essentia divina realiter non distinguitur. Neque enim inter subsistentiam & Essentiam divinam datur oppositio relativa. At in divinis ita se res habet, ut, ubi non datur oppositio relativa, ibi nec detur realis distinctio. Hanc autem ab essentiâ differre realiter, rationibus quidem probari vix potest, sufficienter tamen confirmatur ex Mysterio Incarnationis, in quo humana subsistentia ab essentia seu humanâ naturâ separata fuit, aliàs in Christo duæ essent Personæ, ex ista separatione sub periculo Nestorianismi certò colligi potest distinctio realis. Dicis: Aristoteles hinc tacet: E. & nos taceamus. Verùm respondetur, nullam esse consequentiam. Multa enim illius captum transcenderunt, quæ jam sapientibus aperta sunt. Neque mirum est, eum aliosque, quanquam sapientissimos, hac in re nihil cognovisse, cum Mysterium Incarnationis